

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 11. Carolus de Dyrrachinus Nuceriæ Urbanum obsidet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

Cardinales erant Adamus Astonus,  
Episcopus Londinensis, Bartholo-  
mæus de Cacurrno, vel Cothurno,  
Archiepiscopus Genuensis, Joannes  
de Capua, Corcyrensis Archiepisco-  
pus, & Marinus de Judice, Archie-  
piscopus Tarentinus.

## §. XI.

*Carolus de Dyrrachio Nuceriae Ur-  
banum obsidet.*

Carolus ira in Urbanum accensus,  
eoquod ipsum non solum repeti-  
to anathemate; Regnum vero Nea-  
polis interdicto perstrinxisset, sed Summon.  
lib. 4 cap. 2.  
Blond. 2.  
dec. 10 p. 248  
etiam Regem, & Reginam Margari-  
tham sceptro spoliasset, valido exer-  
citu, sub Duce Cardinale Reatino,  
jurato Urbani inimico, Nucerianum,  
ubi tum Papa morabatur, obsidione  
cingit. Oppugnati, utpote armis  
parum

*cutio per ignem fieret, & deinde Cardinales a-  
lium, quem jam determinabant, Papam crearent.*  
De diverso Nierni & Gobelini partium studio  
vide Spondanum contin. Annal. ad an. 1385.  
§. 2. & ad an. 1386. §. 10.

parum assueti, ignava manu hostium  
impetus sustinent, Papa tamen ter  
singulis diebus ex arcis fenestra  
cum tintinabulo, & candelis accen-  
sis hostiles copias excommunicabat.  
Urbs tandem capta, & arx ad tantas  
redacta angustias, ut abs dubio Pon-  
tifex in hostium manus venisset, nisi  
opportuno auxilio saluti suæ consul-  
tum fuisset; Quippe Raymundus  
Ursinus adjuvantibus Thoma Sanse-  
verino, egregio residuæ Andegaven-  
sis factionis Duce, & Lothario Sue-  
vo Germanorum militum Præfecto,  
sylvam quamdam in obliquam viam  
exscindi jussit, quo facto, omnes hi  
tres Principes cum copiis suis obsi-  
dentium castra invadunt, iisque qua  
gladio interemptis, qua fuga dilapsis,  
urbem primo, mox arcem ingressi,  
Urbanum unacum suis Cardinalibus,  
ac reliquo comitatu non sine ingenti  
labore, atque periculo hostibus eri-  
piunt, ac in portum quemdam, Ba-  
rulum inter & Tranium, incolumem  
deducunt, a Genuensium triremibus  
tandem exceptum. In hac expedi-  
tione

tione illud memoratu dignum, quod  
iudem, qui olim Clementis VII. Fau-  
tores adversus Carolum fuerant, jam  
Urbani Liberatores extiterint.

Pontifex sex illos Cardinales cau-  
te custoditos secum duxerat, veri-  
tus, ne fuga elaberentur. Theodo- *Niem. c. 56.*  
rici Niemi, qui Urbano a secretis e-  
rat, testimonio discimus, quod Epis-  
copus Aquilanus, cum ob vitium e-  
qui, & ob contractam e tormentis,  
quæ passus fuerat, corporis sui infir-  
mitatem ita velociter, ut Papæ li-  
buisset, procedere haud valeret, jus-  
su Pontificis jugulatus, aut verius  
dicam, sicut bos mactatus fuerit (\*).  
Ceteros vero Pontifex, cum Gè-  
nuam applicuisset, variis suppliciis  
affectos tandem trucidari præcepit,  
nihil precibus omnium eorum, qui  
pro captivorum Cardinalium salute  
intercedebant, proficientibus. Soli  
tamen

(\*) Continuator sequentia tamen Spondani  
verba addere debuisset: *Cujus tamen inhuma-  
nissimæ crudelitatis ceteri Auctores non memi-  
nerunt.*

*Walsing.  
Richard. II.* tamen pepercit Adamo Astono, Londonensi Episcopo, nuncupato Cardinali S. Cæciliæ, qui in gratiam Richardi Angliæ Regis vitæ veniam obtinuit, omnibus tamen suis beneficiis, & dignitatibus exutus, atque depositus. Qua acerbitate etiam sibi maxime devinctorum animos a se alienabat. Quapropter eodem ferme tempore Pileus de Prato seu de *Prata Ravennas Archiepiscopus Castri novi Praefectus*, nec non Galeottus Tarlatus de Petra - mala, dimisso Urbano, Avenionem ad Clemensem defecerunt.

*Corneto.*

## §. XII.

*Cardinales ab Urbano creati.**Niem. c 45.*

**H**orum, aliorumque in sacro Collegio vacantes Sedes repleturus Urbanus, altero post Epiphaniam die Anno 1385. septendecim Cardinales creavit, omnes ferme Germanos, aut Neapolitanos, utramque nationem, præprimis vero Neapolitanam potenter sibi hoc beneficio obstricturus.

Ast